



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

B. Ambrosius Sansedonius C. 20. Martii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

(qui quidem superstitioni dediti fuissent) inferis damnatos esse, exclamavit improbo joco, malle se cum pluribus & Majoribus suis etiam apud inferos, quàm sine his, & cum pauculis aliis apud Superos degere. In hâc sententiâ ludibria dæmonis mali firmarunt, qui aureos illi montes, certè aurea palatia pollicitus est. Et jam iverat legatus à Radbodo missus, qui Deorum munera inspiceret: jam inspecta probaverat oculus fascinatus, cum socius, quem **WVLPHRANNVS** addidit, vana ædificia unico signo crucis omnia destruxit. Radbodus intereà prius, quàm nuntii redirent, ad illos suos plures abiit. *Ex Lippeloo.*

*Renovetur cor à carnalibus desideriis, ut exclusis illis introducatur amor Dei & amor patriæ celestis: recedant ab ore arrogantia & derogatio, & succedant peccatorum confessio & bona de proximis æstimatio; assumatur continentia & innocentia, ut contrariis virtutibus contraria vitia depellantur. S. Bern. sent.*

**B. AMBROSIUS SANSEDONIUS C.**  
20. Martii.

**S**ENIS ORTUS AMBROSIVS SANSEDONIVS natalem noctem communem cum **D. Thoma & Jacobo Mevaniensi** habuit. Eam ne candidam orbis dubitaret, tergemina calculo suo Luna notavit; manè deinde vox probavit pueruli *ad scholas, ad scholas* conclamantis, qui quidem causam clamoris rogatus, tres Principes Doctores natos respondit. Porro **AMBROSIVS** infans manibus captus pedibusque ea vincula in æde **D. Dominici** rupit. Viros Religiosos in nutricum brachiis risu salutabat, nec alio magis quàm imaginum aspectu delectabatur, profanas longè repellens, sacras osculis

21. Mart.

VITA SANCTORVM.

155

osculis fatigans. Jam septennis VIRGINIS officium quotidie solitus est persolvere: novennis verò jejunia pane & aquâ sancta habere: insuper quot hebdomadis, die MATRI VIRGINI dicato, V. egētes hospitio excipere, ut illud etiam Angeli ambirent, & modulos suos adderent. Fugam è mundo meditati, & declinanti, nescio quod, epulum geniale, Proteus Orci eremicolam mentitus suadere cœpit, primam ætatē suo exemplo voluptati libaret, senectutem DEO litaret. At improbum consilianium AMBROSIVS signo crucis pepulit. Jamque D. Dominici, jam Alb. M. discipulus, mox ipse Doctor sacrarum literarum Lutetiæ, tum Coloniae fuit. Atque ut sciremus unde doctrinam suam haberet, visa est palam Divina columba in aures loqui AMBROSIO, quæ ille ad concionem clamaret. *Ex Ann. Dominic.*

*O seculum nequam, quod tuos sic soles beare amicos, ut Dei facias inimicos! planè enim qui amicus esse vult tuus, inimicus Dei consiuitur: Amicus itaque mundi excluditur à consilio amicorum Dei. S. Bern. in Epist.*

S. BENEDICTUS ABBAS. 21. Martii.

**B**ENEDICTVS puer ludum cum eremo mutavit, satis jam magnus philosophus, qui terrena contemnere didicerat. Ibi multò post malus Orci pullus merulam mentitus, ingens sub animo libidinis incendium excitavit: sed ille nudus in spinas abjectus sanguine id extinxit; ut quando Poëtæ rosas olim omnes candidas volunt fuisse, ex his spinis primùm credam erubuisse. Secundùm hæc cum socios legeret, multa admiratione digna fecit, multa passus est. Illud lepidum etiam memoratu. Discipulum, qui a divinis ante finem sub-